



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

Capvt XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

V. Vicia ordinationum Episcopis Hispanis quædam remisit Innocentius, quædam discuti iussit. Non autem aliquid indulgisset ante ordinationes peractas, quemadmodum nec Celestinus aliquos contra canones ordinari voluit.

VI. Clericos à Bonofiacis hæreticis ordinatos suscipi posse pro remedio pacis respondit Innocentius Episcopus Macedonia. Regula Augustini, id fieri tantum posse quando pax Ecclesie constituitur. Similitudo petita ab insitione arborum.

VII. Ut Donatista in suis gradibus recipi possent, necessarium fuit ut consensus Africani Concilij firmaretur à sede apostolica, in eorum tantum Clericorum gratiam per quos fieret unitatis Ecclesie compensatio.

VIII. Dispensatio conceditur ob publicam utilitatem, ex Cyrillo Alexandrino, cuius locus explicatur.

IX. Profertur alter locus ejusdem auctoris in eandem sententiam. Corruptus apud Ivozem; hic autem explicatus & illustratus. De Palestina addicta Hierosolymitano Episcopo. Synodus Ephesina *οικονομίας* se gessit non damnando Theodorum Mopsuestenum. De œconomia quam Gregorius Nazianz. in dogmate de Spiritu sancto exigebat.

X. In causa Chrysofomi, dispensationis æquitatem repudiabat Cyrillus, & Canonum observationem præferbat paci Occidentalium, de quibus explicandus Cyrilli locus. Sed tandem rediit in gratiam cum Romana Ecclesia.

XI. Ea prudentia aliquando porrigebatur ad controversias fidei. Probatur auctoritate Ioannis Vecii Patriarchæ CP. tum etiam ex Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Maximo, & Basilio. Egregia regula, quoad hanc *οικονομίαν*, præscripta à Gregorio Nazianzeno.

I. **C**VM juri canonico dispensationibus hodie derogetur, necesse est ut earum originem & processum investigemus, & quatenus apud nos locum habeant, in genere dicamus. Hoc verbum à jure canonico profectum cum sit, ex eo etiam petenda est ejus explicatio. Apud Iu-reconsultos enim servus ille *dispensator* dicitur qui impendia domus curat, qui que rationes domini administrat. Hoc sensu usurpatur etiam in veteri Testamento, & in Novo apud Lucam: qui de fidei & prudenti dispensatore loquitur, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram. Vnde Apostoli & eorum successores eleganter dicuntur *Dispensatores* mysteriorum Dei; & Paulus dispensationem sibi creditam ad Corinthios scripsit. Sed in jure canonico alius est verbi istius usus. Sumitur enim pro venia legis, quam interpretes *providam juris relaxationem* vocant: cuius is est effectus, ut lege vel canone vim suam obtinentibus, is cui indulgetur, à vinculo & obligatione legis auctoritate superioris solvatur. A Græcis manavit dispensationis nomen, hoc sensu usurpatum: quo Cyrillus Alexandrinus usus est,

οικονομίας vocans eam administrandi & vivendi rationem quæ non summo jure sed æquitate nitatur. Qua voce dispensationis usus est apud Latinos Gelasius. Quamvis apud Græcos Theologos alia quoque significatione *οικονομία* usurpetur, nempe pro occulta & arcana gubernandi ratione, qua Deus modis & rationibus humano generi incognitis omnia ad finem suum intra tempora præstituta perducit: quæ ab Apostolo dicitur *οικονομία τοῦ πνεύματος τῆς χάριτος*. Hinc Incarnationis mysterium passim apud illos *οικονομία* dicitur. Imò etiam occulta Dei iudicia, quibus permittit aliquid à regula rationis humanæ alienum accedere, ut id in salutem fidelium convertat, *οικονομία* dicitur à Chrysofomo passim, ut homiliâ in Genesim: πολλοὶ τοῦ θεοῦ ἡ οἰκονομίας οἱ λόγοι καὶ ἡμῶν ἀπίρητοι. Vnde dictionis hujus usus ad inflexam quandam agendi rationem à canonum tenore pro bono publico deficiens traductus est, ut patebit exiis quæ dicenda sunt. Aliis quoque nominibus indulgentia ista apud Græcos Patres significatur. Non solum enim *οικονομία* dicitur, sed etiam *συγγνώμη*, *συγχρητάσις*, *συμπάθεια*, & *φιλαδελφία*. Id est, venia, condescensio, miseratio, humanitas; & apud Latinos Patres, *Remissio*, *venia*, *clementia*, *lenitas*, *mansuetudo*, & *miseratio*.

II. Attamen etsi vocibus antiquis utamur hodie, magnum intercedit discrimen inter mores antiquos & nostros: cum majores nostri severius & accuratius disciplinam canonum colerent, quæ apud nos remissius & humanius tractatur. Hæc autem est summa differentia, ut mihi videtur, quòd apud veteres nunquam daretur venia canonis infringendi, sed infracti & violati pœna ob gravissimas causas aliquando remitteretur, hodie verò legum canonicarum venia in antecessum concedatur. In Canones autem olim Clerici & laici incidebant, si ea crimina perpetrarent quæ canonicis pœnis puniebantur; vel Clerici, si eorum ordinationes vitio laborarent, id est, si promoti essent contra præscripta canonum. Primo casu, crimen reos tantum respiciebat; secundo verò, status ecclesiasticorum ordinum lædebat. Iis omnibus tamen indulgentia pœnæ à canonibus inflictæ, cum res ita ferebat, miserationis & pacis intuitu aliquando concedebatur. Remedium pœnitentiæ lapsis collatum, & remissio pœnæ canonica ex parte indulta, à Græcis *οικονομία* dicebatur. Hoc sensu accipiendus est Eulogij Alexandrini Archiepiscopi Titulus librorum quos adversus Novatianum exaravit: *Eulogij Alexandrini*

L. In lege confessoria ff de sep. juris.
L. Dispensatorum.
N. de iohar.

Gen. 41.
1. Reg. 18.
Luc. 11.

1. Cor. 1. Petri 4.
1. Cor. 9.

Ad Epist. 41.

Chryf. hom. 41.
in Genesim.

Ep. 11.

Ep. An.
Ep. 11.

Ep. 11.
Ep. 11.

Eulog. Alexand.
apud Plerum.
Ep. 11.

adversus Novatum, & de aconomia seu dispensatione, libri quinque. Asperitas Novatiani haereticis lapsis sub Decio poenitentiae beneficium denegabat. Ecclesia verò catholica poenitentibus, & diurno jejuniorum & orationum labore purgatis, veniam pollicebatur, & de praescripta severitate aliquando remittebat. Haec est dispensatio de qua Eulogius Alexandrinus adversus Novatianum disseruit. Etsi enim de hac aconomia nihil extet in Excerptis Photij praeter solum lemma Eulogij, conjunctio disputationis de Novato & de aconomia satis indicat agi in hoc tractatu Eulogij de poenitentiae beneficio, ad quod lapsi admittebantur. Hanc Innocentius I. in simili specie misericordiam vocat, cum de iis agit qui post baptismum omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti, in extremo fine vitae suae poenitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt. De his enim inquit Innocentius: *Observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatio est. Nam consuetudo prior tenuit ut concederetur eis poenitentia, sed communio negaretur. Pace autem Ecclesiae reddita, tribuitur cum poenitentia extrema communicatio, ne Novatiani haeretici negantis veniam, asperitatem & duritiam Ecclesia imitari videretur*, ut loquitur Innocentius.

III. Ceterum hanc singulis Episcopis facultatem Nicæna Synodus indulgit, ut etsi quatuor poenitentiae laboriosissimi gradus per aliquot annos subeundi essent iis qui criminibus à canone veritatis se obstrinxissent, liberum esset Episcopis poenitentiarum illarum partem remittere iis poenitentibus qui rebus ipsis conversionem suam probavissent. Quod à Synodo dicitur, *humanius aliquid cogitare, id est ἐπιεικῶς τὸ ὑπερόπαιον φιλαυθροσύνου πρὸς τὸ ἐπιεικῶς βελούσαιται*. Synodus Ancyrana Diaconis lapsis, tempore Licinij, ministerij functionem adimit, sed minuendae poenitentiae potestatem Episcopis tribuit, & eadem humanitate laicos prosequi. *Penes Episcopos erit potestas, modum conversionis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia verò procedens eorum vita & posterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.*

Basilii hanc Episcoporum indulgentiam, *συνθεσίαν* vocat, & *φιλαυθροσύνην*. qua etiam voce utitur Gregorius Nyssenus. Sanè haec venia necessaria visa est antiquis patribus, ne tristitia poenitentiae diuturnioris in desperationem adduceret poenitentes; ut monet Basilii. Ita enim duris poenitentiae laboribus premebantur, ut ad Sarraenos aliquando deficerent, sicut docuit Zonaras; vel

etiam ad paganos in Occidente, ut Rodolphus Bituricensis Archiepiscopus monuit Nicolaum, qui secundum Canones modum poenitentiae minuendae illi committit. Porro omittenda non est Photij elegans observatio, nempe in eo capite potiore esse Episcoporum potestatem, praeter iudicibus publicis. His enim liberum est, cum iudicium reddunt, perspicere ne quid aut durius aut remissius constituent quam causa deposcit, & severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Sed mutare sententiam non possunt; etiamsi de rei innocentia post iudicium latum constet, quod duntaxat à Principibus fieri potest. Episcopi verò poenas minuere vel intendere possunt. Imò verò, si res ita ferat, à poena decernenda in reos abstinerere debent; scilicet si sceleratus habet sociam multitudinem, adeo ut schismatis metus immineat. Haec est Augustini sententia: *Cum quisque fratrum & Christianorum intus in Ecclesiae societate constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est, quam sententiam fuscè persequitur. Qua de re uberius in exercitatione nostra de iudiciis canonicis in laicos.*

IV. Non solum autem in eo genere poenarum, quae criminibus irrogabantur, veniae usus apud veteres invaluerat, sed etiam, ut dixi, in ceteris poenis quae regradatione & dejectione constabant adversus Episcopos & ceteros Clericos per vitium ordinatos aut haeretica communione infectos. in quo status ecclesiasticus laedebatur; atque ideo non ab Episcopis singulis, sed à synodis provinciarum, & saepissime à Summo Pontifice venia illa concedebatur. Hujus veniae exemplum à synodis indulta extat apud Athanasium: qui quidem interrogatus à Rufiniano Episcopo de Clericis quos tempore Constantij Imperatoris Arriana communione constabat esse pollutos, respondet variis synodis habitis in Graecia, in Gallia, Hispania, & ceteris provinciis huic malo consultum; eo temperamento adhibito, ut auctoribus impietatis venia daretur, si poeniterent, à clero tamen exciderent; iis autem qui per vim ad eam communionem adacti essent, venia plena daretur, ita ut locum suum in clero retinerent: *ἕδοξε δίδοσθαι αὐτῶν συζητάμεν, ἔχον ὃ εἰς τὸν τόπον τῆς κλήρου*. Praefertim quòd eo consilio se id fecisse dicerent, ne fortè postquam repulsi essent, eorum Ecclesiae Arrianis traderentur; exemplum secuti Aaronis, qui praevagationi populi Israelitici in deserto consentit, ne populus Aegyptum repeteret. Haec autem

Nicolaus ep. ad Rodolphum in Appendice Bincentii Patris editi. & Tom. I. Concil. Gall.

L. Poenitentiam. ff. de poenit.

L. Dicit fratrum. ff. eod.

Photius T. IX. N. 11. N. 11. N. 11. N. 11. N. 11.

August. l. 1. contra Parmen.

Athanasium in ep. ad Rufin.

Vide Cyrillani ep. Th. Poenitentiam. maxime salubri moderatae libertate.

Poen. in Doc. c. 11.

Sm. Nic. c. 11.

Sm. Anon. c. 1. Anon. in Can. c. 2. Sm. Ancyran. Synod. l. 1. c. 17. c. 18.

Basilii c. 1. & c. 17. Greg. Nyss. in ep. ad Leontium.

Greg. Nazianz. ad Phasium l. 1. c. 11.

à Clericis illis gesta fuisse *οὐκ ὀρθῶς* scribit Athanasius.

Innoc. ep. ad Episcopos synodi Tolentane c. 1. & 4. an. 406.

V. Concessa verò à Romanis Pontificibus venia plurima suppetunt exempla. Innocentius primus (quem Hilarius Episcopus monuerat violatam esse intra Hispanias Ecclesiarum pacem, disciplinae rationem confusam, & multa contra canones patrum, contempto ordine, regulisque neglectis, in usurpatione Ecclesiarum fuisse commissa) adhibita distinctione totum negotium temperavit. Nam Episcoporum, qui in alienis Ecclesiis contra Nicænos canones, omisso Metropolitano, erant ordinati, plenam discussionem in synodo provinciali haberi voluit, *ut quia perperam facti erant, intelligerent id quod vitioso initio adepti erant, se diutius obtinere non posse.* Scilicet castigatam voluit esse improbam usurpationem; ne dissimulatio in deterius convalesceret, & ex consuetudine fieret regula. At verò eas ordinationes, quæ præ consuetudinis vitio contra formas canonum celebratæ erant, neglectis scilicet conditionibus quas in personis ordinandis canones requirunt, (nempe aut è foro, è militia, aut è curialibus aliqui statim adsciscantur ad sacerdotium) indiscussas relinquit, ne perturbationes Ecclesiam moveret: *Quorum factum, inquit, ita reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum, ea quæ quoquomodo facta sunt in dubium non vocemus, sed Dei potius iudicio dimittamus.* Et mox: *Quæ si singula discutenda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus.* Idcirco remittenda potius hæc putamus. Eam tamen legem adjecit, *ut si qui post hæc adversus formas canonum, vel ad ecclesiasticum ordinem vel ad ipsum sacerdotium venire tentaverint, unà cum creatoribus suis, ipso in quo inventi fuerint ordine & honore priventur.* Rectè negotiorum species distinxit Innocentius. Eas ordinationes discuti voluit quæ nullæ essent ob defectum potestatis, sed alias toleravit, quæ vitiosæ erant, quamvis non essent ipso jure nullæ. Hodie diceremus cum irregularibus dispensasse post ordinationem, ne scilicet Ecclesias Hispanienses perturbaret.

Ceterùm ante ordinationes peractas nec Innocentius nec aliquis ex antiquis Pontificibus indulgisset ut ad sacerdotium promoveri posset, vel laicus non antè adscriptus clero, vel bigamus, aut aliquis alius cui à Canonibus esset interdictum. Vnde Celestinus Appulorum petitionem, qui hoc se ab eo impetraturos sperabant, graviter repulit: *Quæ enim à nobis, inquit, res digna*

servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licenti à populis permixta frangat?

VI. Qui ab Ecclesia catholica ad hæresim Bonosi transferant, & ab eo ordinationem susceperant, in suis ordinibus suscipiendos non esse ex Synodi Nicænæ canonibus egregiè disputat Innocentius in epistola ad Episcopos Macedoniae. Attamen ex eorum Episcoporum sententia, ne ordinati cum Bonoso remanerent, pro remedio ac necessitate temporis, ad clerum admittendos statuit: *Priora ergo dimittenda dico Dei iudicio, de reliquo maxima sollicitudine præcavendum.* Exemplum hujus clementiæ præbuerat Synodus Nicænæ: quæ canone octavo Catharis sive Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus indulgerat ut accepta manus impositione manerent in clero. Quod tamen ad ceteros hæreticos promiscuè trahi non debere graviter monet Innocentius. Attamen servanda est Augustini regula, qui docet in *hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum esse aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat.* Clericos quidem aut Episcopos ab hæresi redeuntes in suo gradu non esse suscipiendos ait, nisi illud, quod fieri non debet, pacis ipsius compensatione sanaretur. Ut ramus præcisus cum arbori inseritur, necesse est arborem leviter lædi; ita ergo & isti, cum ad radicem catholicam veniunt, nec eis, quamvis post erroris sui penitentiam, honor clericatus aut episcopatus auferatur; sit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris, contra integritatem severitatis, veruntamen quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, ad Dei misericordiam precibus suis, coalescente infortium pace ramorum, charitas cooperit multitudinem peccatorum.

VII. His testimoniis adjiciendus est Concilij Africani locus, quo duo præcipua capita demonstrantur, & apostolicae sedis auctoritas in his remissionibus gravioris momenti; & necessitas publicæ utilitatis, ut venia illa indulgeri posset. Concilio transmarino, id est, Italico, seu Capuano, vetitum fuerat ne hæretici penitentes locum suum in Ecclesia retinerent. Ideo speciali decreto opus fuit, ut Donatistæ sine injuria Universalis Ecclesiæ ab Africanis recipi possent in clero; ita ut Synodi Carthaginensis consensum sedis apostolicæ auctoritate firmari necesse fuerit. Quod ad illius sedis dignitatem demonstrandam, ut dixi, & in temperandis canonibus potestatem, est locupletissimum testimonium. Hæc sunt verba Concilij Carthaginensis: *Placuit ut*

Con. Afric. c. 35. *littera mittantur ad fratres & Coepiscopos nostros, & maxime ad sedem apostolicam, in qua presider memoratus venerabilis frater & collega noster Anastasius; quod noverit (scilicet Romanus Pontifex) habere Africam magnam necessitatem, propter Ecclesiam pacem & utilitatem, ut & ipsi Donatistae, quicumque Clerici correcto consilio ad catholicam unitatem transire voluerint, in suis honoribus suscipiantur. Quod a se peti aiunt, non ut Concilium, quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur, sed ut illud maneat circa eos qui sic transire ad catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio procuretur; illi vero tantum in honoribus suscipiantur, per quos catholica unitati consuleretur. Unde colligitur aperte Africanos in gratiam unius tantum personae solvi Concilij prohibitionem noluisse, nisi adesset compensatio publicae utilitatis, id est, unitatis ecclesiasticae, quam correctione sua omnino perferrent, vel manifeste juvarent. Illam veniae concedendae causam, compensationem unitatis vocat Carthaginense Concilium, eadem voce qua usus est Augustinus in loco laudato §. superiori.*

VIII. *Dispensatio hujus generis, quae temperato canonum summo jure, concordiae publicae consulit, commendatur a sancto Cyrillo Alexandrino, iis locis quos Ivo & Gratianus retulerunt; sed quorum verus sensus nondum est satis accuratè expensus. Ioannes Antiochenus Patriarcha, fautor Nestorij potius quam ejus haereseos, magnas turbas excitavit in Concilio Ephesino; cujus sententia à communione Ecclesiae exclusus est, & ab omni sacerdotali functione suspensus. Tandem jussu Theodosij Imperatoris damnationi Nestorij subscripsit, & à Cyrillo in communionem susceptus est. Quidam verò in Ecclesia Antiochena, qui Nestorio faverant, Ioannis communionem non deseruerunt post pacem cum Cyrillo constitutam, nec etiam à Ioanne ad ejurandam conceptis verbis haereseis Nestorij adacti sunt. A quo Ioannes consultò abstinuerat, ut paci Ecclesiae consulere, & suspectorum famae; non verò ut detrimentum aliquod verae fidei inferret. Qua de re certior fecit Cyrillum per Diaconos suos Cassium & Ammonium; quibus dedit in mandatis ut modum aperirent quem secutus fuerat in moderando & dispensando negotio ad Ecclesiarum utilitatem. Quod ille οἰκονομίας appellat. Ioannis consilium Maximo Antiocheno Diacono displicuit, ideoque à Patriarchae sui communionem sibi abstinendum esse duxit. Cyrillus monet Maximum ut inquirat an illi qui nuper Nesto-*

rio favebant, eandem sententiam aperte profiteantur, (quo casu repudianda erit eorum communio) an verò cum ceteris Christianis conveniant, & factis ipsis erroris sui poenitentiam testentur, etsi palam fateri illos pudeat. Quo casu & Ioannis & resipiscendum communionem amplectendam docet, dispensationis causa, οἰκονομίας ἐν ἐξῆς μὴ ἀπὸ τοῦ οὐνοῦ εἶναι. Res enim, inquit, multa dispensatione indiget. Quare dispensatio illa cujus meminit Cyrillus, ad resarciendam pacem ecclesiasticam pertinet; non ad utilitatem privatam.

IX. Profertur alter Cyrilli locus ex epistola ad Gennadium, cujus species nondum est satis perspecta; cum nec verba ipsa sanam interpretationem receperint apud Ivonem. Aelia, id est, Hierosolymorum Episcopus quartum quidem dignitatis locum canone septimo Nicanae Synodi obtinuerat, sed jus metropolitanicum in Palaestina Episcopo Caesarea servatum fuerat. Iuvenalis Hierosolymorum Episcopus jus patriarchicum in tres Palaestinas ab Ecclesia Antiochena distrahendae tentavit Ephesinae Synodi iudicio suae sedi arrogare; sed repulsam passus est. Theodosij tamen rescripto Palaestinarum, Phoeniciae, & Arabiae administratio illi concedita est; ut patet ex Concilio Chalcedonensi, cujus Decreto concordia Patriarchae Antiocheni & Hierosolymitani firmata est. Proclus Constantinopolitanus Episcopus, & Cyrillus Alexandrinus, rescripto Theodosij sensum suum praebuerant, & Hierosolymorum Episcopum in communionem suam sub Archiepiscopi nomine & Palaestinarum administratoris susceperant. Hoc gravissimum tulit Gennadius Presbyter & Archimandrita, ob violatum canonem septimum Nicenum; ideoque à Procli communionem abstinerebat. Sed Cyrillus prudenter docet saepe defectendum à tenore regularum dispensationis causa, & ut evenire solet periclitantibus in mari, qui jacturam faciunt aliquarum mercium, ut reliquae serventur, aliqua dissimulanda, ubi summum jus locum habere non potest, ne omnium rerum dispendium subsequatur. Nulum jus Aeliae Episcopo in Palaestinas ex Canonibus competere, sed effreni ejus desiderio hoc indultum. Quare repudiandam non esse Procli communionem, quia dispensationis modus nulli sapientium displicuit. Prudentiae hujus οἰκονομίας usum à Synodo Ephesina usurpatum ostendit idem Cyrillus in epistola ad Proclum Constantinopolitanum. Etenim post recitatas in Concilio excerptas è libris Theodori Mopsuesteni Epi-

Cyrillus in ep. ad Maximum i. 1. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Apud Ivonem in Praefatione: Hierosolymorum Episcopus dicitur, qui recte dicitur, & Hierosolymorum Episcopus. Aeliae vero dicitur civitas Hierosolymorum in Confluentione Marci qui ex ceteris j. P. Conc. Chalced. N. 11.

Leo ep. 65. Sicut etiam de Ephesina Synodo, qua impium Nestorianum casu dogmare suo perculit, Iuvenalis Episcopus ad obsequium Palaestinae provinciae principatum credidit se posse sufficere, & insolentes a se per commentum scripta firmare. Quod sancta memoria Cyrilli Alexandrini Episcopi in concilio Ephesino perhibuit, & scriptis suis nihil quid praedicti cupiditate ausa esset indicavit, & sollicita proce multum poposcit ut nulla illicitis conatibus praediceretur assensio.

Cyrillus in ep. ad Gennadium: 1. 1. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Collet. in hunc c. 11. & 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Enoch. in hunc c. 11. & 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Angl. in hunc c. 11. & 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Ivo in Praefatione Dicitur.

Ivan. in ep. ad Cyrillum, citat nuper à M. Codice Epist. 102. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

scopi olim fato functi sententias, è quibus virus suum Nestorius hauserat, impietatem quidem hæreticam damnavit synodus, eolque qui similia saperent; sed à nomine Theodori damnando temperavit οἰκονομίας, ne plerique viri ejus auctoritate moti, in alia omnia abriperentur, & ab Ecclesia potius quàm à Theodoriani nominis communionem recederent. *His verò condemnatis, inquit, qui sic sapiunt, nullam viri (Theodori) memoriam fecit (synodus) dispensativè, nec ipsum nominatim anathemati subiecit propter dispensationem, ne quidam ad existimationem viri respicientes, sese ipsos ab Ecclesiis separarent. Dispensatio verò in his optima res est & sapiens. Si enim adhuc in vivis esset, & Nestory blasphemiarum fautor, aut suffragari vellet iis que scripsit ipse, anathema etiam in propria persona subisset.* Vnde colligit Cyrillus cavendum esse, ne si Principes, aliorum Orientalium qui Constantinopolim acceperant libellis interpellati, edicto suo Theodori memoriam damnatum eant, tumultus inde occasio nascatur in Oriente: cujus periculum imminere scripserat Ioannes Antiochenus, plurimisque Theodori memoriam proferri nullo modo passuros. Quæ fervidis illis assertoribus fidei Cyrillus denunciari cupit, ut à dissensionibus excitandis specie pietatis tandem abstinereant. ² *Potest enim etiam iis qui hæc petierunt dispensatio rei enarrari; ut quiescere malint, quàm Ecclesiis scandali occasionem præbere.*

Hanc οἰκονομίας rationem ad ipsius quoque dogmatis professionem trahebat Gregorius Nazianzenus. Etenim eos qui palam & apertè Spiritus sancti divinitatem contra Macedonianos profitebantur, si cum æquis hominibus & bene sentientibus agerent, generosos esse ait, si autem cum infirmis, qui hujus veritatis nondum sunt capaces, sermonem habeant, non esse οἰκονομικούς, id est providos dispensatores docet: *εἰ μὴ ὁ γινώσκων, ὁ ἀλλοί, εἰ ἢ παπεινοῖς, ὅσκι οἰκονομικοί.* Quod ante damnationem hujus hæreseos à Synodo Constantinopolitana decretam à sapientissimo viro scriptum fuit: quemadmodum etiam quod in eandem sententiam in eodem argumento scripsit alibi: *βελτίον ὅν οἰκονομῆται τῶ ἀληθῆναι, μὴ ὅν εἰς ἀπὸν ἡμῶν; ὡς περ νέφει πρὶ τῶ χάρω, ἢ χαταλυτῆναι τῶ φατέρω τοῦ κρηγύματος.* *Præstat enim veritatem dispensatione quadam conservari, ut nubi sic temporari nobis tantisper cedentibus, quàm eam apertè predicando irritam facere.* Similis tamen dispensatio feliciter non cessit Honorio Pontifici, in causâ Monothelitarum; licet hodie in quaestione de *Auxiliis gratie* prudentissimè à summis Ponti-

ficibus in usum inducta fuerit. X. Sed quàm Cyrillus dispensationis æquitatem ceteris commendabat, suscipere renuit in causâ Ioannis Chrysoptomi, qui pulsus erat episcopatus dignitate à Theophilo Alexandrino, & à synodo habita in suburbio Constantinopoleos. Hanc dejectionem repudiavit Occidentalis Ecclesia, & quia mortui nomen in diptycha Ecclesie non restituebant Orientales, suam illis communionem denegavit. Tandem Atticus Episcopus Constantinopolitanus seditione populi coactus est, de sententia Imperatoris, Ioannis nomen inter ceteros Episcopos vita functos recitare. Quod factum suum Cyrillo probare conatur, eò scilicet quòd totius orbis pacem hæc dispensatio restitueret, justitiæ utilitatem præponendo. *Ei cogitationibus nostris, inquit, ad populi concordiam inclinati, canonibus quidem patrum detrimentum nullum afferimus; exacte autem verborum observationi, universi orbis pacem preferimus. Non ignoro quidem & B. Paulum, cum ecclesiasticas ederet constitutiones, sapienter occasionibus provida dispensatione usum esse.* Cyrillus rescripsit commoto animo copiosam satis epistolam, qua inter cetera docet, dispensationem tunc esse laudandam, cum rebus quæ utiles sunt & commoda detrimentum non affert. Paulum omnibus omnino factum, non ut partem perderet, & ceteros lucrifaceret, sed ut omnes lucraretur. Equidem regula Cyrilli optima est, cum ex Augustino habeamus charitatem non esse lædendam dispensationibus, sed potius fovendam. Ceterum in regulæ usu errabat; præcipuè cum nullam rationem haberet communionis Occidentalem, quæ hoc pacto redintegrabatur. De iis enim loquitur his verbis, quæ non satis accurate versa sunt: *Ne igitur contra te ipsum, inquit ille ad Atticum, celebres eos qui adversandi studio dissidium fecerunt, neque unquam justum iudicium de illo (id est, Ioanne) latum susceperunt.* De Romanis & Occidentalibus loquitur, ut antea dixi, quorum pacem deinde promeruit, adnitentibus maximè Africanis. De hac enim contentione intelligenda sunt Concilij Carthaginensis verba: *Placuit etiam ut de dissensione Romane atque Alexandrinæ Ecclesie ad sanctum Papam Innocentium scribatur, quò utraque Ecclesia intra se pacem, quam præcepit Dominus, teneat.* Eandem namque tollendi dissidij & restituendæ pacis temporibus Cyrilli Alexandrini curam gessit, quam testata fuerat Africana Ecclesia superiori canone, in gratiam Theophili ejus decessoris.

XI. Porro quod exemplo Gregorij Nazianzeni

... ἡ δὲ ἐκείνη... οἰκονομία... ἡ δὲ ἐκείνη... οἰκονομία... ἡ δὲ ἐκείνη... οἰκονομία...

... οἰκονομία... ἡ δὲ ἐκείνη... οἰκονομία... ἡ δὲ ἐκείνη... οἰκονομία...

Cyrr. Naz. hom. 144.

idem. ep. 22.

P. de Balazium de vita Marce, f. 6. sum.

Atticus Ep. ad Cyrillum...

... ἡ δὲ ἐκείνη... οἰκονομία... ἡ δὲ ἐκείνη... οἰκονομία... ἡ δὲ ἐκείνη... οἰκονομία...

idem Concil. Carth.

Coll. 101.

Nazianzeni prudentiam istam aliquando porrigi ad controversias fidei, veluti per transennam diximus, hujusque οἰκονομίας, usum malè cessisse Honorio in causa Monothelitarum, nunc uberiori fermone ob materiei difficultatem atque dignitatem nobis explicandum est. Ac primùm quidem præscribendi sunt fines intra quos isthac prudentia coërceri debeat juxta veterum regulam, ne prætextu dispensationis, vera fides labefactetur. Deinde agemus de Honorij factò, docebimúsque qua in re peccaverit utendo hac οἰκονομία in causâ fidei, quæve fuerit canonica ejus damnationis in Synodo sexta decretæ causâ, cum revera hæresim Monothelitarum professus non fuerit.

Ac de primo capite nihil potest dici accuratius, quàm quod Ioannes Veccus Patriarcha CP. in Oratione de Vnione Ecclesiarum adnotavit ex Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, & Maximo, *que ex vocibus nascuntur differentias negligendas, dummodo secundùm sententiam uno consensu fratres concordant; τὰς ἐν λέξει παρεχόμεναι ἀσφοδῆς, ὅτι τινὰ εἰς χῆ τὴν ἐπὶ τῆ ἐνώτια ὁμοφροσύνη συμβάινει τῶν ἀδελφῶν.*

Primum istius prudentiæ exemplum petitur ex B. Athanasij factò: qui, dissidentibus inter se orthodoxis super trium hypostaseon professione, istis eas rejicientibus, cum verba illa non reperirentur in scripturis sacris, proindeque suspecta videri possent, aliis verò illas amplectentibus, hortatus est contententes ut in Nicænæ fidei confessione constanter perseverarent. Deinde exquisita dissidentium partium sententia, postquam comperit eos qui unam hypostasim profitebantur, naturam & substantiam deitatis unâ intelligere, qui verò tres hypostases admittebant, non Arrianorum more diversæ substantiæ personas docerent, aut ut ceteri hæretici sub istis vocibus tria principia aut tres deos constituerent, sed quò his verbis patefacerent se in Trinitatem ita credere ut in Dei unius natura Pater, Filius, & Spiritus sanctus verè subsisterent. Quare cum alienos esse ab hæresi utrosque comperisset, liberam illis unius hypostaseos vel trium hypostaseon profitendarum facultatem concedi debere censuit, rejectis illis qui fanam interpretationem verbis illis non adhibebant. συμβαλόμενοι τοῖς ὀρθοῦς ἐρμηνεύσει πῶς εἰ φρονεῖσι μὴδὲν πλεον ἄλλοις ἀνακρίνειν, μὴδὲ λογαζομένῳ ἐπ' ἑδὲν χρῆσιμον, μήτε τῶν τοιαύταις λέξεσι ἀσφαλτοῦσαι, ἀλλὰ τῶ φρονήματι ἢ ὁμοθυμίας συμφωνεῖν. in Tomo ad Antiochenos. Eos verò qui spreta omni interpretatione de voculis rixari pergunt, vocat φθορῆτας τῆ ἐκκλησίας, ἢ ἀγαπῶν τῶν ἁσχημάτων.

Profert Veccus statim testimonium Gregorij Nazianzeni, qui summis laudibus effert hanc Athanasij prudentiam. Εὐχὴ δέξει, inquit Veccus de Gregorio, τὸ ἔργον ἢ οἰκονομίας. Sanè ipse Gregorius huic voci, in hoc factò, originem dedisse videtur. Quippe de Athanasio ait, eum hanc concordiæ rationem inivisse, ut μέγαν ἦν ψυχῶν οἰκονομῶν.

Ipse quoque Gregorius cum illis de voce Dei pugnandum non esse scripsit qui, ob inscitiam, eam non tribuebant Spiritui sancto, dummodo vim & potentiam divinitatis illi tribuerent: δὲτε τὴν δυνάμειν ἢ θεότητον, ἢ δῶσομεν ἡμεῖς ἢ φωνῆς συγχέουσιν. Idem Gregorius laudat Basilij in eadem quæstione prudentiam: ἀποσπαινεῖ ἢ οἰκονομίας ἀπόρητον, inquit Veccus. Basilij itaque Spiritus sancti divinitatem sic asserbat, ut deitatis voce non uteretur, τὴν κελίας φωνῆν ὑπερεπέθετο; gratiæ tamen loco à propugnatoribus veræ fidei petens, τῆ οἰκονομίας μὴ διχραζέιν, ne dum unam voculam mordicus retinere conarentur, propter inexplabilem cupiditatem omnia perderent; convulsa nimirum turbulento tempore ac destructa pietate. Αὐτοῖς μὲν ἢ ἑδμῆσαν ἢ ζήμῆσαν ὑσαλλατομέθων μικρὸν ἦν λέξασιν, ἢ φωνῆς ἄλλαις τὸ ἴσον διδασκομένοις: Ipsos enim nihil ex eo incommodi ac detrimenti accepturos, si vocabula paululum immutarentur, modò aliis verbis eadem docerentur.

Maximus ad Pyrrhum Presbyterum ait, sæpenumero patres voces concedere, sed retinere sententias, quòd non in syllabis, sed sententiis & rebus, salutis nostræ mysterium existit. illud enim faciebant, pacis curam gerentes, hoc, animos veritate confirmantes. Ὅτι μὴ ἐν συλλαβαῖς, ἀλλὰ νοήμασιν ἢ ἀράμασι τὸ ἢ σωτηρίας ἡμῶν ὑσαρῆσαι μυστήριον. Τὸ μὲν ἢ ἐπιείκην εἰρήνης φρονιζόντες, τὸ ἢ ψυχῶν ἀληθείας φρονιζόντες.

Basilijus Ecclesiæ temporibus suis labefactatæ statum redintegrari non posse scribit circa motam de divinitate Spiritus sancti controversiam, nisi συμπαθεία πρὸς τῶν ἀθετούντων: quam in eo constituit, ut illi ad communionem admittantur qui fidem Nicææ sancitam recipiunt, & Spiritum sanctum creaturam esse negant, licèt Dei verbum apertè non usurpent. Retenta enim communionem, futurum frequenti collatione, & minimè contentiosa disceptatione, ut si quid etiam est quo ad amplioem evidentiam addito opus sit, id Dominum præstiturum.

Egregiam in univèrsam regulam præscribit Gregorius Nazianzenus in oratione de Pace: *Nec segniorem quàmquam esse debere quàm par sit, nec ferventioem; ita ut vel ob*

Gregor. Nazianz. Orat. 1. de Pace.

Annotations in the left margin, including 'Annot. Ep. ad Synellum' and 'Item Collat. in Nicæna'.

levitatem ad omnes se aggreget, vel ob temeritatem & insolentiam ab omnibus se removeat. aequè enim & iners segnitias est, & mobilitas atque inconstantia à societate & communione aliena. Verùm ubi aperte se prodit impietas; tum verò nobis faciendum esse ut adversus ignem & ferrum & tempora & Principes ac denique prius adversus omnia cominus feramur, quam ut mali fermenti participes efficiamur, ac male affectis assentiamur. nec quicquam perinde metuendum est quam ne quid magis quam Deum metuamus, ac propterea fidei & veritatis, cum veritati serviamus, doctrinam perfide deseramus. At cum suspicio sola animum nostrum male habet, timorque nullis certis argumentis innixus; tum verò lenitatem potius quam celeritatem, & indulgentem demissionem potius quam arrogantiam & contumaciam adhibere convenit; multoque melius & conducibilis est ut in communi corpore manentes mutuo nos ipsos, tanquam alij aliorum membra, corrigamus atque corrigamur, quam ut prejudicio per secessionem factò, & auctoritate per separationem amissa, ex edicto posita, velut tyranni ac non fratres, correctionem imperemus. *Βελτίον τοῦ ἄλλου, ἢ μακροθυμία, ἔστι αὐθιγείας ἢ συγκατάθεσις. Ἐπολλῶν χρείησιν ἢ λισιτελέσσειον, ἐν τῷ κινήσῳ σάματι ῥθόντες, ἡσυχαστὴν ἀλλήλους ὡς ἀλλήλων μέλη, ἢ ἡσυχαστῆσιν, ἢ ἡσυχαστῆσιν δια τὸ ἡσυχαστῆσιν, ἔστι τὸ ἀξιοπίστον, τῷ ἡσυχαστῆσιν λύσασθαι, ἔπειτα ἐξ ἡσυχαστῆσιν, ὡς ἂν τυχεῖν τοῖς, ἀλλ' οὐκ ἀδελφοῖς, νομοθετεῖν τῶν διόρθωσιν.*

Addendus locus alter Gregorij, ex oratione III. de Pace: *Quaedam ne querenda quidem omnino sunt, quedam mediocriter, quedam contentiosis hominibus concedenda & relinquenda, quoque tandem modo se habeant, utpote nullum doctrinæ nostræ detrimentum asserentia; quedam fidei soli donanda, quedam etiam ratiocinationibus &c.*

STEPHANI BALVZII

ADMONITIO

De editione §. XI.

CVM in §. IX. hujus capituli illustrissimus Archiepiscopus adnotaverit solitos olim Episcopos remittere aliquid ex summo jure, etiam in controversiis de fide, sed dispensationem illam male cessisse Honorio Pontifici Romano in causa Monothelitarum, visum est heic edere fragmentum uberioris descriptionis quam meditabatur ut explicaret morem veterum in tolerandis quibusdam vocibus in controversiis fidei, ne dissidium aut schisma in Ecclesiam inveheretur ex nimia severitate. Sanè fragmentum illud magni momenti est; & auro contra æstimandum, præsertim cùm ejus ope viris eruditissimis aperiat via ad investigandum quomodo se gesse-

rint veteris Ecclesiæ Pontifices in contentionibus de fide quæ recenter emergunt. Illud dolendum, quòd miræ eruditionis viro non licuit absolvere susceptum opus. Nam si diutius in vita fuisset, fragmentum illud, quod ab initio destinatum erat ut adderetur in his Dissertationibus, fortassis transcripsisset in epistola quam scribere destinaverat ad Cl. V. Philippum Labbeum; de qua dictum est in libro de vita ejus. Sed tu, Lector, has sacrosanctas reliquias venerare; & meæ quoque diligentia aliquam gratiam habeto, qui, ne perirent, effeci.

Paucis te præterea velim, mi Lector. Observatum est ab illustrissimo viro canonum severitatem interdum inflexam, & à regulis discessum, pacis causâ, in quam rem attulit præclara veterum testimonia. Quibus addere visum est insignem locum ex epistola Symmachi Papæ ad Avitum Viennensem, quæ nuper edita est à clariss. viro Domno Luca Dacherio, monacho Benedictino, in quinto tomo Spicilegij. Rescripsit Symmachus ad Aonium Episcopum Arelatensem de controversia quæ erat inter Episcopos provinciarum Viennensis & Arelatenfis, circa ordinationes Episcoporum vicinarum civitatum, servandam esse antiquitatem, nec habendam rationem novæ constitutionis ab Anastasio Papa editæ, quæ provinciam confundebat. Agrè tulit Avitus hanc injuriam fedi suæ, ut putabat, illatam. Ergo ad Symmachum scribens, expostulat cum eo, quòd violatam ab Anastasio Ecclesiæ consuetudinem dixerit, & præter prædecessorum ejus statuta, in confusione provinciarum. Rescribit Symmachus, gavisurum se, si ab Avito probatum fuerit nihil ab Anastasio contra canones actum, sed tantum præter regulam, temperato videlicet jure. *Quia quod sit præter regulam, inquit, modo sit ex justa causa, non infringit regulam, quam sola pervercia & antiquitatis contemptus ledit. Nam quamvis à patribus statuta, diligenti observatione, & observanti diligentia sint custodienda; nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur; quod & ipsa lex cavisset, se prævidisset. Et sepe crudele esset insistere legi, cum observantia ejus esse præjudicabilis Ecclesiæ videtur. Alterum dispensationis & condescendens, ut vocat, exemplum nobis suppeditat Innocentius II. in epistola ad Hugonem Archiepiscopum Rothomagensis, quæ edita est in tomo secundo Spicilegij. Archiepiscopus ille fidei & obedientiæ professionem in Ducatu Normanniæ exigebat ab Abbatibus, contra vetustam consuetudinem. Quod adeo agrè ferebat Henricus II. Rex Angliæ & Dux Normanniæ, ut vel ob hoc ipsum ad Innocentium scribens, minitatus aperte sit divortium ab apostolica sede, nisi Archiepiscopi illius præsumptio reprimeretur. Nitebatur ille vetustis canonibus, qui volunt Abbates esse in potestate Episcoporum, & Decreto Concilij Remensis paulò antè celebrati. Dandum tamen aliquid temporis censuit Innocentius, ad Hugonem scribens. *Quod profecto quamvis justum fuerit, inquit, & à nobis in Concilio Remensi mandatum, pro ejus caritate à rigore justitia aliquando condescendere debemus, & pro tempore, ipsius voluntati assensum præbere. Sed prætermittendus non est insignis locus ex epistola Hildeberti Cenomanensis Episcopi, quæ edita est in tomo quarto ejusdem Spicilegij pag. 250. & à nobis emendata ad fidem vetusti codicis. *Multa ex loco, multa ex tempore, multa ex personis differentiis sunt. Rector Ecclesiæ nonnunquam aut dissimulabit aut faciet quæ accusat, Cùm videris malum***

Vide Martini
Dissertationem de
epistola Symmachi
Pag. 4. n. 24.

schismatis imminere, canonum scita mutabit. Debet cessare censura, cum dissoluitur unitas, caritas leditur, pax vacillat. Hæc admonere, alicujus, opinor, momenti erat.

CAPVT XIV.

Synopsis.

I. Summus Pontifex canones temperavit in Oriente. Damasus remisit vitium ordinationis Flaviani Antiocheni, precibus Ioannis Chrysostomi & Theophili Alexandrini. Anatolius ordinatus à Synodo Ephesina secunda, que nulla erat, assensu Leonis I. episcopatum retinuit. Idem accidit Maximo Antiocheno contra canones ordinato, cui vitium illud Leo indulgit, pacis studio. Simile vitium Stephani dissimulavit Synplicius Papa, in gratiam Zenonis Imperatoris.

II. Frequentiora dispensationum pontificiarum exempla in Occidente. Leo in Africa tolerat laicorum ordinationes, sed bigamorum damnat. Hilarius veniam concessit Episcopis Hispanis, ordinatis absque Metropolitanis consensu contra canones Nicenos.

III. Aliquando necessitate cogente non personis singulis, sed omnibus, conceditur remissio Canonum; ut statutum est à Gelasio in ordinationum intervallis.

IV. Aliquando etiam damnatis Episcopis restitutio indulgetur à Summis Pontificibus, ex clementia, de synodorum consensu. Quod probatur exemplis. Causæ Athanasij, Chrysostomi, & Flaviani, pertinent ad iura appellationum, non ad restitutionem ex benignitate indultam. In quo notatur Ivo.

V. Ex dictis patet veniam infringendi canonis olim concessam non fuisse, sed tantum infracti. Quod obtinebat tempore Zacharia; qui negat facultatem datam à decessore suo ducenda vidua avunculi, quia hoc est contra canones. Ea ratione petitionem Bonifacij de eligendo successore rejicit.

VI. Frequentior esse cepit dispensationum usus undecimo seculo: sed nondum concedebantur, nisi utilitatis praxeis. Recte dividit Ivo preceptiones; quarum alie sunt immobiles, è jure divino: alie mobiles, è jure canonico. in his, si detur compensatio boni publici, potest indulgeri dispensatio. Discussa præfatio Ivoonis in alijs capitulis. Regula Ivoonis, non reprehendendos: Prelatos qui aliqua tolerant non adversa fidei aut bonis moribus.

VII. Origo dispensationum que dantur in antecessum, ex contumacia fidelium petenda, qui canonibus parere volebant, ex Anselmo.

VIII. Regula Goffridi in his dispensationibus, ut non fiant studio lucri, sed pietate subveniendi infirmis. Dispensationes sine causa, reprobata.

IX. Ob necessitatem, vel communem utilitatem, hæ dispensationes concedi debent. Alioquin sunt dispensationes, ex Bernardo.

X. Gratianus sequitur eandem sententiam. Iure Decretalium, privatorum habita est ratio major quam olim; quibus dispensationes dantur, si juventur aliquo merito, quod usui Ecclesie esse possit.

I. QVANTA esset Romanæ sedis auctoritas in temperanda canonum executione, ex Innocentio & Concilio Africano demonstratum est capite su-

periori. Sed quia suspicari posset aliquis, eo jure usum fuisse Summum Pontificem in Occidentis Ecclesiis tantum, quæ illius sollicitudini, nullo Patriarcha intermedio, parebant, docendum est aliquot exemplis hanc ejus auctoritatem ad Orientis quoque Ecclesias porrectam fuisse. Notissima est occasio dissidij quo per aliquot annos concussa est Ecclesia Antiochena, ob Flaviani ordinationem, quem Paulino superpositum fuisse, potius quam Meletio successisse, neglecta fide jurejurando data, conquirebantur Occidentales & Ægyptij, adeoque ab ejus communione abstinebant; quamvis superstes fuisset Paulino & Evagrio Antiochenis Episcopis, & non tam potior quam solus sedem illam obtineret. Attamen studio Ioannis Chrysostomi, postquam Theophilo Alexandrino benigniore Flavianus ulus fuisset, utriusque opera, Occidentalium communioni restitutus est, legatione ad Episcopum Romanum missa. Expendenda sunt autem verba Socratis, qui Theophilum à Pontifice Romano contendisse docet ut propter populi misericordiam, vitium ordinationis Flaviani dissimularet, quod perinde est ac si dixisset, ob bonum unitatis veniam dandam vitiosæ ordinationi; quam non à synodo Occidentalium, sed à Damasus Chrysostomus & Theophilus petiverunt, ut hinc quoque pateat apicem auctoritatis in sola Romana sede, quoad dispensationes, tunc temporis viguisse.

Damnato per vim & tumultum Flaviano Constantinopolitano Episcopo in Synodo Ephesina secunda à Dioscoro Alexandrino, Anatolius, qui pro negotiis Ecclesiæ Alexandrinæ Dioscori responsalem egerat Constantinopoli, urbis regie Episcopus ordinatus est. Hæc ordinatio celebrata in illo Ephesino latrocinio, cujus acta rescissa sunt, constare non poterat, si summo jure actum fuisset. Quare Anatolij communionem, utpote vitiosè ordinati, Leo I. suscipere recusabat, donec Marciani Principis interventione canonum censuram mollivit, rectæ fidei subscribente Anatolio, cui Constantinopolitanam sedem suo consensu Papa firmavit. Nos enim, inquit Leo in epistola ad Marcianum Augustum, vestre fidei & interventionis habentes intuitum, cum secundum sue consecrationis auctores ejus initia titubarent, benigniores circa ipsum quam justiores esse volumus, quò perurbationes omnes, que operante diabolo fuerant excitate, adhibitis remedijs leniremus. Mox: Satis sit predicto quòd vestre pietatis auxilio, & mei favoris assensu, episcopatum

Socrates l. i. c. 17. Θεσσαλονικῆς οὗτος οὐκ ἐπιβήσας τῶν ὁμοιωτῶν ὁμοιωτῶν, ἀλλ' ἐκείνου τῆς ἐκκλησίας ἐπέβησεν ἐπιμαρτυροῦν τὴν ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, καὶ τῶν ἐκείνου τῆς ἐκκλησίας τῶν ὁμοιωτῶν, καὶ τῶν ὁμοιωτῶν τῶν ὁμοιωτῶν.

vide lib. 5. cap. 16. §. 4.

